CUP21 g.31/32

F. MARII de CALASIO

DICTIONARIUM

E T

CONCORDANTIÆ

Quam plurimis in Locis emendatæ,

Additâ Particularum HEBRAICARUM CONCORDANTIA,

Nominumque propriorum Explicatione uberrimâ,

Jam Publicanda ſunt

OPERA & STUDIO

GUL. ROMAINE, A. M.

I. Hoc opus Chartâ optimâ erit impreſſum & Typis novis Hebraicis operâ celeberrimi Artificis GULIELMI CASLON exculptis.

II. In Voluminibus quatuor grandibus erit incluſum.

III. Tanti erunt Typi Hebraici, Syriaci, Arabici & Græci, tanti Charta optima, & tantâ opus erit Diligentiâ & talibus Auxiliis, ne mendæ ullæ irrepant, quod minus non erit poſcendum pretium, quam decem aurei nummi, quos in Linguâ vernaculâ vocamus GUINEAS.

IV. Et ut certa res omnibus ſit, mihi tantum cordi & in animo eſſe hoc opus impreſſum reddere, nihil erit dinumerandum, donec duo prima Volumina edantur, quæ quidem jam ſub Prælo ſudant, & quàm primùm in publicum prodibunt.

Si qui ſint apud exteras Gentes, quibus hoc Opus promovere Animo ſit, hos oratos volo, ut vel ad M. ZACH. CHATELAIN, & M. J. WETSTEIN, Amſtelodami; M. P. LUTCHTMANS, & M. C. HAAK, Lugduni Batavorum; M. PETRUM GOSSE, Hagæ-Comitum; M. CRAMER & M. PHILIBERT, Genevæ; M. HAROLD, Hamburgi; M. FRANC. PITTERI, Venetiarum; M. HIP. & LOUIS GUERIN, & M. ROLLIN, Lutetiæ Bibliopolas; vel ad me in Vico vocato *South-Street* prope *Groveſnor-Square*, Londini, Epiſtolam mittant, & quid me Opibus vel Conſilio adjuvare illis libet, ſcientem me faciant.

ERUDITO LECTORI.

FREQUENTER me hortati ſunt Literati, ut in hocce Otio meo Studio Hebraico conſulerem, & aliquod opus ad hoc promovendum publicarem. Cum primùm Animum ad Rem appuli, uno Ore omnes, ut Dictionarium & Concordantias *F. Marii de Calaſio* in Lucem ederem, flagitarunt. Horum Voluntati Morem gero: Et quâ ratione Opus ſuum *Marius* inſtituit primum dicam; deinde quid in illo perficiendo ipſe præſtiterim, & quæ nova Adminicula Linguæ Sanctæ amatoribus adminiſtraverim paucis expediam.

F. Marius apud Villam quandam, cui Nomen CALASIO, juxta Urbem Aquilam in Regno Neapolitano natus eſt: Hic cum tenerâ adhuc eſſet ætate Literis Hebraicis incubuit, quarum in Studio ingenio optimo, non minus quam ſingulari Doctrinâ adjutus, mirum in modum profecit: Quo factum eſt, ut nomen ejus totam Italiam brevi peragraret. Denique propter egregiam Linguarum Orientalium Scientiam tam benè de ſe audiit, ut Paulus Quintus, magnus ille Muſarum patronus, ſtatim poſt Acceſſionem ad dignitatem Pontificatûs, Hebraicæ Linguæ Prælectorem, & Sanctæ Theologiæ Profeſſorem, eum Romæ conſtituerit. Quos tamen Honores non aliam ob Cauſam amavit, niſi quia pulchram ſibi iſtius, quod jam inchoaverat, operis perficiendi præbuerunt Occaſionem. Diu enim magnas Dictionariorum Mendas & Concordantiarum Defectus doluit; multumque temporis & diligentiæ, etiam antequam ad Profeſſoris Dignitatem aſſurrexerat, ad remedium tanto malo inveniendum conſumpſit. Annos etiam non paucos ope omnium literatorum uſus eſt, quotquot Ordinem Sancti Franciſci (in cujus ordinem & ipſe aſcitus fuit) complebant, ex quô non parvum operi addebatur Emolumentum. Nihilominus ad ſtatum, in quo nunc eſt, forte nunquam adductum eſſet Opus, niſi hæc Provincia ab ipſo Papa (ſatis quidem feliciter) fuiſſet ſuſcepta. Hic amicitiam cum Mario inivit, quo volente, pleroſque, qui tunc temporis in Italiâ literarum ſtudio floruêre, ſollicitavit, ut incepto Marii opem ferentes perfectum, quantum poſſit, Dictionarium & Concordantiam inſtituerent.-----Abſolutum eſt tandem opus; ipſe vero Marius editionem parans lethali morbo correptus eſt; quem, dum ægrotaret, inviſens Papa, fidem dedit morituro, ſibi Curæ fore, ut opus ederetur: Illo ipſo die obiit Marius, annos ultra ſeptuaginta natus. Propriis igitur ſumptibus impreſſionem curare cœpit Papa, qui & ipſe, priuſquam inceptum conſummatſſe, fato conceſſit. Hujus Succeſſor, Gregorius quintus decimus, curam non parvam in opere promovendo impendit, neque vel Labori vel ſumptui pepercit, modó opus cito prodiret; quod anno Chriſti 1621, in quatuor Voluminibus effectum dedit.

Modum autem compoſitionis ſuæ talem inſtituit Marius. Imprimis Radices omnes Alphabetice diſtribuit, deinde tota Biblia ſacra perlegit; eo nempe conſilio, ut Locum unumquemque deſcriberet ubi ſingula vox occurreret; ſingulam autem vocem ſic ipſi occurrentem in loco ſuo apud Radicem ſuam digeſſit, deinde totam ſententiam in quâ vox erat, deſcripſit. Ex. gr. ſi ברא Thema inveniendum extiterit, primò quæſtionem a Geneſi orditus eſt, inventi autem jam Thematis exemplum apud Capitis primi Verſum primum ſic literis mandavit בראשית ברא אלהים את השמים ------Pari modo Caput ſingulum & Verſum notabat, ubi verbum inde uſque ad Bibliorum finem occurreret: Tanto operi neceſſaria fuit ſumma Cura, ſumma quoque Induſtria, & Ætas diuturna. Adeo ut ad tantum eminentiæ, quâ nunc celebre eſt, faſtigium forte nunquam perveniſſet opus, niſi tantus per tot annos doctiſſimorum Virorum Cætus Mario inceptori adſtitiſſet, operamque ſuam ſæpe ſæpius elucubrâſſet.

Huc uſque cum proceſſiſſet Marius, ad negotium principale ſe accinxit, cui aliis virtutibus præter ſolum Laborem opus erat. Thema ergo (antedictum) ubicunque occurreret, notavit, quemque ibi geſſit Senſum cum ſignificatione uſitatiſſimâ comparavit; hunc porro (ſenſum) exploravit, an idem per tota Biblia maneret. Tali igitur Conſilio ad primam & præcipuam verbi Ideam inveſtigandam uſus eſt: Concordantiam enim componere Labor erat, & præterea nihil------Ad hoc autem opus aggrediendum neceſſarium fuit magnum Judicii Acumen, & accurata Hebraicæ Linguæ, ejuſque naturæ & virium, Cognitio: Quæ omnia nihilominus in Mario ſita ſunt----Ei nempe mens inerat divinior: res enim ipſas æquè ac nomina rerum perſpexit. Teſtantur, quot quantiſque virtutibus, tanquam totidem auxiliis, ad cæleſtis illius linguæ inveſtigationem, præditus fuit------Linguarum Orientalium & Rituum Judaicorum Notitia-----plena Philoſophiæ Peritia----æque ac ſubtiliſſima Rationis rectæ Dictamina----hæc omnia ad finem, quem propoſuerat, promovendum ſunt exercitata. Hinc profunda illa Linguæ Hebraicæ, quâ cæteris omnibus ſæculi ſui præluxit, Cognitio; quam in ſuo Dictionario ſpectatam reddidit, & literaria orbis ei acceptam refert. Ibi namque Radicis ſingulæ ſignificationem accuratiùs, quam quiſquam antea, ſtatuit; porrò autem arbitror, hoc præter Cauſas jam ſupra memoratas, a novâ illius Methodo magnâ ex parte ortum eſſe, in quâ locis omnibus, ubi vox quæſita occurreret, inter ſe collatis, primariam ſingulæ vocis in ſingulis locis ſignificationem eruit.

Quo

Quo autem melius ad faſtigium opus ſuum Marius perduceret, Senſum, quemcunque voci ſingulæ indidit, allato, quaſi per exemplum, communi ejus in linguis Orientalibus uſu, confirmavit. Primò enim conſtructionem vocis Chaldaicam, deinde Syriacam, poſtea Rabbinicam, poſtremo vero Arabicam attulit. Hæc res primæ operis parti firmum dedit munimentum, præſertim quando exempla vocum, quæ rarò per tota Biblia invenirentur, fuere citata; quo tempore maximæ foret prudentiæ Linguarum iſtarum ope uti: Quod ſi voci eidem eadem ſignificatio in poſteris hiſce Linguis, quam obtinere exiſtimabatur in Hebraicâ, adnecti comperiretur, non alius tutior ad ſenſum voci applicandum exiſteret Modus. Exinde patet, quam bene de Republica Literarum mereretur ille, qui Concordantiam, inter Hebraicam Linguaſque finitimarum Regionum inſtrueret; quo in opere hic noſter Marius ſucceſſum præter Spem obtinuit.

Quoniam autem nativus Nominum & Locorum & Hominum Senſus multos Scripturæ locos illuminaret, è re ſibi fore putavit Marius ejuſmodi illuſtrationem aggredi. Sæpe enim memorantur Cauſæ, quare certa quædam Nomina & Hominibus & Locis imponantur, neque tamen Cauſarum, quare imponuntur, ulla videtur a nominibus ad aliam Linguam tranſlatis fieri explicatio. Talia exempla crebro apud libros pleroſque Hiſtoricos, præſertim vero Geneſin, occurrunt; eorumque nominum multa, quorum origo venuſtatem non parvam continet, Lectores communes latent. Hoc aliquatenus oſtendit Marius; quin etiam jam clarius ex iis, quæ huic operis parti addam, patebit. Namque dum nomina a propriâ ſuâ Origine derivare conatur, adeo non verborum copiâ utitur, ut in brevitatem obſcuram incidat; quod autem ad cætera ſpectat, ea fuſe omnino tractavit; qui quidem labor, ſunt, quibus non minus placebit, quam ſi plus Induſtriæ iis ab Hebraicâ derivandis inſumpſiſſet. Itaque ſub locorum Nominibus, Naturam, Situm, & ſimilia ex optimis quibuſque Geographis excerpta deſcripſit: ſub Urbium, quâ in regione, quando, & a quo, fundarentur meminit: ſub Hominum, brevem quandam de vitâ eorum & moribus Hiſtoriam tradidit. Denique ut hæc libri pars Hiſtoricum & Geographicum ſit veteris Teſtamenti Dictionarium, vix aliquid, niſi copioſior & accuratior quædam nominum Hebraicorum Explanatio, deeſſe videtur. Quem Defectum, ope Auctorum qui poſt Marii ætatem de hâc re diſſeruerunt, conabor ipſemet adimplere: Siquam autem vocem, cui ſenſum illi non affixerunt, reperiam, eandem ope Ingenii proprii pro modulo meo explicare connitar.

Hucuſque præcipuè in Eruditorum uſum viſum eſt opus inſtitui; quo autem pleriſque Lectoribus exinde accreſceret emolumentum, Marius ulterius propoſitum urgebat. Proinde ſub ſingulis verſibus Hebraicis ſtrictam Bibliorum Interlinearium Verſionem Latinè inſeruit; ubi porro inter hanc Verſionem & Vulgatam Interpretationem ulla videretur diſcrepantia, ibi eandem notavit: Si quid etiam Septuaginta interpretes ab utriſque diſſenſerint, eorum Verſionem noluit præterire. Ideoque quem ſenſum ſingulus Interpres ſingulæ ſententiæ nectebat, licuit primo intuitu perſpicere; quâ de Cauſâ poteſt hoc opus quaſi Concordantia tam ſingulis hiſce Verſionibus, quam textui Hebraico, exiſtimari. Unum autem hoc mihi dolet, quod omnia, quæ ex Septuaginta Interpretibus citantur, Latinâ Verſione exhibentur. Melius enim nequaquam, niſi ex ipſorum Verbis, poteſt Senſus LXX Interpretum intelligi, ideoque nemo literarum peritus auctoritate Latinæ Verſionis quidquam niteretur. Satius igitur duxi Textum Septuaginta Interpretum Latino ſubſtituere: Quamvis etiam tantum opus multum mihi & temporis & laboris conſtiterit, certum eſt tamen ad umbilicum perducere: In quâ re Editione Grabeiana, ut plurimum, utar; ſiquando autem hanc inter & Vaticanam vel Francofurtenſem inſignis aliqua oriatur Differentia, inventam accuratè annotare non deſiſtam.

Hanc operis mei Inſtitutionem in uſum Orbis literatæ jam vulgaturus ſum. Cæteris quæ adhuc extant, perfectius certe hoc eſt Dictionarium & Concordantia Copiam atque Ordinem meliorem, quam alia quæpiam, jactat. A tribus porro Verſionibus, quarum maxima ſemper extitit admiratio, locupletatur. Propter has quoque Virtutes hanc Editionem cæteras omnes iſtius Generis ſuperare, non eſt ut aſſeverem; quippe quod inter omnes, quotquot ſunt, Literarum bonarum periti conſtet, neque Demonſtratione egeat. Namque ex illo, quo novam perutilis hujuſce operis Editionem multi Viri doctiſſimi deſiderârunt, ſtudio ſatis evidenter liquebit.

De Marii autem opere ſatis jam dictum arbitror. Quæ vero emendare & adjicere, ut ad umbilicum hoc opus ducam, in Animum induxi, ſunt hujuſmodi. Imprimis, omnium, quas præteriit Marius, vocum Concordantiam propriis in locis diſtribuam: Ipſe enim (ſed quibus de cauſis autumari nequeo) vocabula multa, quorum nonnulla non parvi mihi videntur eſſe momenti, omiſit. Quod ad Particulas attinet, earum ſane pauciſſimas in Concordantiam admiſit; cum tamen hæ difficillimæ linguæ cujuſque voces jure exiſtimentur. De hoc enim defectu quotidie queruntur omnes, qui linguas antiquas, aut etiam hodiernas, diſcere velint,------idque non immerito. Ideoque ut hanc querelam reprimam ipſe dabo operam, integram & accuratam Particulæ cujuſque Concordantiam inſtituturus. Ne quis autem mihi objiciat, quod jam a Noldio actum ago, peto, ut Concordantiæ Noldianæ

habeatur

habeatur Ratio: Imprimis nemo inficias ibit, qui in ejus opere verſatus eſt, citationes nullo prorſus Ordine eſſe diſtributas, Methodumque totam planè Nubibus obvolutam. Præterea quidem mancum eſt opus & imperfectum; ſub pleriſque enim particulis, raro licet occurrentibus, unum vel plures Textus qui mihi primariâ viſi ſunt eſſe authoritate, ſæpe tacitus præteriit. Quod quidem, cum res ſit haud parvi momenti, ipſemet corrigere conabor. Denique vero operis mei Inſtitutio hæc eſt; Particularum Concordantiâ, ut apud Marium, diſpertitâ, ſingulam particulam proprio in loco in opere medio collocabo. Diligentiâ quoque, quantâ poſſum, utar, nequi Textus me lateant. Quod autem ad utilitatem noſtri hujuſce Inſtituti pertinet, non neceſſe eſt, ut argumenta educamus, ſiquidem res ipſa pro ſe cauſam dicet.

Porro quoque adjicientur vocabula, quæ ab authoribus ambobus ſilentio prætermiſſa ſunt. Atque Radices, quarum nulla apud Marium vel Noldium fit mentio, quantâ poſſum & Curâ & Fide collatas, eadem Methodo, quâ ipſi uſi ſunt, diſpertiam. Spero quoque me nullam querendi, quod plurima omittuntur, anſam S. Scripturæ Lectoribus daturum; cum nihil aliud a me ſit inſtitutum, niſi ut hoc opus, in ſuo genere jam licet perfectiſſimum, Orbi literato quam maxime utile efficiam.

Emendata erunt a me Errata pleraque, quæ Typographi Negligentiâ orta ſunt; & quo minus nova aliqua eodem modo huic Editioni ſubrepant, Cura & Diligentia ſumma adhibebitur. Denique pro virili adnitar, quo hoc opus emendatiſſimum reddam & nitidiſſimum, utar quippe correctione ſcrupuloſiore, optimâ charta, & novis Typis Hebræis, Arte & Ingenio celeberrimi iſtius Viri GULIELMI CASLON, exculptis. Quod ſupereſt, te jam, benevole Lector, rogatum velim, ut hoſce meos Labores quos in Bonum Publicum hactenus ſuſtuli, æqui bonique conſulas, & quantum in te ſit promoveas.